

† R. P. Franciscus Sal. Severens.

(Prov. Holland.).

In ipsis fere anni 1925 initiis, die 8 ianuarii, praeter opinionem in urbe Fluminis Ianuarii (*Rio de Janeiro*) Brasiliae capite mortuus est P. Franc. Sal. Severens, seu, ut a populo appellabatur, *Padre Severino*.

Natus est die 24 maii a. 1862 Traiecti ad Mosam loco quidem mediocri, sed parentibus piis honestisque. Ter divina opitulante providentia



puer e mortis periculo ereptus est. Cum undecim esset annorum, in schola dominicali sacerdotis, qui catechismum et historiam sacram ibi docebat, oculos sagacitate sua in se convertit. Qui cum patrem de filio ad s. ministerium asciscendo adiisset, res ad Francisci confessarium R. D. Claesens delata est. Is non tantum consilium probavit, sed ipse res necessarias, praesertim vestimenta, puero suppeditavit, ut collegium Fratrum ab Immaculata Conceptione adire posset. At cum ad collegium urbanum transiturus esset, in examine subeundo probatus non est. Sed Deo rem

ita regente (ut ipse grato animo postea recordabatur) illa praecipue sinistra fortuna in iuvenatum nostrum Ruremundensem ductus est, cum novum examen Wittemii subiisset.

In iuvenatu vitam vere piam rectique exempli egit, utque animo aperto ac generoso praeditus erat, ab omnibus amabatur. Contionatorem optimum iam tum praesagivit, cum quodam die in iuvenum recreatione sellam conscendens orationem funebrem, quam mane ad tumulum divitis feminae audierat, omnibus mirantibus recitasset. Voce pulchra et sonanti praeditus inter cantores quoque in choro ecclesiae optimos numerabatur.

Studiis in iuvenatu absolutis noviciatum ingressus die 15 octobris a. 1880 vestem Congregationis induit et die 17 decembris a. 1881 votis religiosis nuncupatis vitam Deo devovit. In studentatu primo praefecto P. Dubois, deinde P. Van Asten ac Van Rossum usus est, magistris s. doctrinae vero, quorum nomina tantum attulisse satis est: Van Rossum, Aertnys, Ter Haar. Die 8 octobris a. 1886 sacerdotio auctus est.

Studiis optime finitis Ruremundae primum in iuvenatu linguam gallicam, geographiam, arithmeticam docuit cantuique iuvenum praefuit, anno vero 1891 ad labores apostolicos transiit. Iam tum non minus ad missiones quam ad exercitia spiritualia habenda aptissimus visus est, non quo res sublimes novasque proferret, sed quia spiritu Dei actus et a sui ostentatione alienissimus vultu, voce, actione totoque vitae et orationis tenore Christum praedicabat.

A. 1894 Ruremunda Rosaevallum venit ibique a. 1895 praefecto Rectore domus P. Ios. Deckers alterum noviciatum tarde quidem egit, sed eo maiore cum fructu, cumque deinde optima in campo apostolico perfecisset, a. 1899 in vice-provinciam Brasilianam missus est, ubi usque ad vitae finem permansit. Cum paucos primum menses in domo Juiz de Fora in linguam lusitanam addiscendam insumpsisset, ad opus evangelicum statim transiit, quod primum in missionibus, deinde in exercitiis spiritualibus ad laicos, religiosos sacerdotesque habendis exercuit multas in America meridionali easque vastissimas dioeceses peragrans. Sacerdotes praesertim iterum atque iterum rogaverunt, ut P. Severens ad exercitia habenda sibi mitteretur.

Missiones Brasilianae difficillimae sunt. Itinera sex pluriumque dierum per praerupta locorum asperaque superanda sunt, antequam ad locum ipsum pervenias. Hospitia sunt pauperrima, lectuli e nodosis arborum ramis confecti et parum palea contacti, in quibus cimices dormire vix permittant, et cum ianuae domorum non semper nec certo claudantur, missionarii fustibus armati somnum capiunt, quibus porcos forte incursantes abigant. Haud raro etiam contigit, ut missionarii in itinere nocte oppressi sub divo pernoctarent, vel a via deerrantes ac per ignotos sibi montes magnis cum periculis equitantes multa tandem ac caeca nocte ad locum petatum pervenirent. At Dei providentia vigil adest. Non semel enim fulminum luce e caelo exardescente missionarii impavidi ad margines praecipitiorum constitierunt, in quae imprudentes proximo passu se ruituros fuisse conspexerunt.

Quondam P. Severens cum aliis missionariis pagum petiturus erat, in quo aër gravis et pestilens esse dicebatur. Parochus numquam illum locum inviserat, infantes ad unius horae distantiam baptizabat. Sacerdotes locorum, quae circumiacent, omni modis missionarios deterrere conati sunt, ne in pagum illum se conferrent, omnes ibi febris laborare mortiferaeque colli tumore affici confirmantes. At Patres Severens, Mathijsen et Perriens in vallem angustam, quo sol non penetrabat, descenderunt. Pro domo ibi tugurio humili usi sunt, quod partim in terra, partim vero in rivo per vallem fluenti constructum erat. Potum aqua praebat ex eodem rivo hausta, ubi plantis foliisque non erat contactus. Quod quia uno tantum loco inveniebatur, ibidem linthea immunda incolarum lavabantur.

Et tamen Deo iuvante Patres omnia pertulerunt et fructus laborum dulces reportaverunt.

Die 9 augusti a. 1911 P. Severens defuncto Rectori domus Curvellanae successit, quam etiam sequenti triennio usque ad diem 7 maii a. 1915 rexit. Ibi fundamenta iecit ecclesiae nostrae in honorem S. Gerardi aedificandae, praedium domui nostrae adiacens emit, associationem, quae *Lega catholica* dicitur (S. Familiae) instituit, atque ipse moderatus est, libellum singulis mensibus in honorem S. Gerardi edere coepit (*Santuário de S. Geraldo*), cui ab initio fere 6.000 hominum nomina subscripserunt. In domo hominis cuiusdam conspicui in populi usum bibliothecam instituit. Nec minus in labores apostolicos, praesertim in exercitia spiritualia, etiam ad sacerdotes habenda, incubuit. Si quid in rectoratu eius deerat, id temporum iniquitati tribuendum est. Et fortasse nimis rectus, vel parum callidus erat.

Plurimum vero temporis in domo *Bello Horizonte* moratus est, ministri quoque munus obiens, quod tantum ministerio ad Flumen Ianuarii et rectoratu Curvellano interruptum est. In Bello Horizonte vix quemquam inveneris, quin gratum erga eum animum gerat. Urbs magna est et principio in parochias non divisa nostris tantum et unius parochi curis demandata erat. Hinc P. Severens dies integros per urbem cursitantem videres, ut trepidos consiliis, debiles opera, ignorantibus doctrina iuvaret. Et sive afflictis, sive rudibus, homines docti ac publicis honoribus aucti, legati, rerum publicarum administrati ac sacerdotes, omnes eius auctoritatem sectabantur.

Pueros in ecclesia nostra et in scholis per annos multos catechismum docuit, opera caritatis nobis commissa omni caritate fovit, Congregationem filiarum Mariae (*Filhas de Maria*) et SS. Angelorum in ecclesia nostra constituit ac moderatus est. Archiconfraternitatibus B. M. V. de perp. succursu ac Rosarii perpetui et Tertio Ordini S. Dominici praefuit. At maxima eius caritas eluxit, cum a. 1918 morbus, quem influentiam dicunt, grassaretur. Et quia maxima erat eius apud omnes gratia et auctoritas, cum de construenda in vico Florestae nova ecclesia ageretur, superiores eius rei curam P. Severens demandaverunt. Qui ex Europa rediens, quo patris nonagesimum annum aetatis agentis salutandi causa perrexerat, ecclesiae lineamenta accurate facta secum attulit. Et fundamenta quidem iam acta sunt, sed ecclesiam ad minorem ambitum circumscribi oportebit, quia pecunia ad sumptus faciendos deficit, et quae P. Severens promissa erat, eo mortuo non solvitur.

Exeunte mense maio a. 1924 in urbem Fluminis Ianuarii, ubi iam e laboribus prioribus notus erat, vocatus est. Ibi statim iterum labores suos suscepit. Contiones maiores fere omnes ei sunt traditae, sacerdotum exercitia eodem anno quinque in variis dioecesibus habuit, domi plurimas confessiones excepit. Undique enim ad labores apostolicos petebatur.

Quod iam inuimus, P. Severens nec externo doctrinae splendore, nec sermonis ac facundiae elegantia prae aliis eminebat. At virtute solida ac sancto rei divinae animarumque salvandarum studio incensus non ad se, sed ad Deum homines trahebat. S. Pauli exemplo Christum praedicabat, et hunc quidem crucifixum, quare quidam e nostris, cuius auctoritas multum valet, mirandum esse dixit, quae superna benedictio omnibus eius operibus adesset. Quam Dei benedictionem fratrum fideliumque precibus semper implorari voluit ac memore animo gratias agebat, si quis labores eius apostolicos precibus adiuturum se esse promisit. Inter fratres caritatis plenus erat, et quamquam saepe iocis cavillationibusque petebatur, tamen numquam humana eius comitas et affabilitas turbabatur.

Ianuario mense in illis regionibus non frigora, sed maximi calores sunt. Quibus hoc anno P. Severens moleste premi videbatur, sed nihil conquestus labores suos obire perrexit. Etiam ultimo vitae suae die salutis animarum curandae causa urbis vias lustravit. At vesperi, cum aegrum se esse intellegeret, prius cubitum ivit moxque a Patre quodam periculose decumbens repertus est. Rectore et communitate conveniente, cum medicus eum paralyti cerebri correptum in vitae discrimine versari edixisset, s. morientium sacramentis munitus est et a P. Vice-Provinciali iterum s. absolutione accepta duabus fere horis ante mediam noctem placidam mortem obiit. Erat dies 8 ianuarii.

Post mortem eluxit, qua omnium aestimatione usus esset. Populus frequentissimus, clerus omnis tam saecularis quam regularis ad funeris exequias convenerunt. Priusquam corpus ex ecclesia efferretur, ut tandem cunctorum votis precibusque fieret satis, arca paulisper aperta est statimque homines crucibus, numismatibus, rosariis defuncti corpus attrectare coeperunt, alii pedes osculabantur floresve memoriae causa surripiebant.

Ephemerides quoque, cum de morte eius referrent, in Bello Horizonte praesertim pulcherrimas eius laudationes habuerunt. Sed prae omnibus his rebus id hic referre liceat, quod Rñus Episcopus Botocatuensis, qui prius Fluminis Ianuarii vicarius generalis fuerat, nuntio de morte eius accepto scripsit: « Cras s. sacrificium pro eo offeram. Scio equidem eum hac re non indigere, sed mors eius magnopere animum meum commovit. Ad tutelam dioecesis meae patrocinium eius implorabo ». R. i. p.!